Quelle: http://manuscripta.at/?ID=287
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

De arboribus communibus

Larex a laricino castello dicta est cuius
arboris lingno tabule et tegule domi-
bus affixe repellunt flammam et hoc mirum
quod de ligno arboris huius quod nec combustum est
igne carbonem de se facit
Laton genus est et est arbor que mella lati-
ne dicitur quere ergo infra ubi mella
Laurus ut dicit Isidorus arbor e
verbo laudis dicta haec enim cum
laudibus victorum capita coronabantur
apud antiquos laudea dicebatur hanc greci
dampnem sive dampnidem appellant hec sola
fulmine minime dicitur folia numquam deponit et
sunt odifera multum et est laurus arbor calida et
sicca huius arboris cortex tritus et bibitus
abortum excludit folia huius habent virtutem con-
fortandi propter aromaticitatem siccantur et habent
in loco umbroso et non fumoso que per annum
servantur in multa efficacia medicine placet
dicat contra dolores stomachi et contra vo-
mitum ex frigida causa datur vinum decoctum
cum foliis lauri contra frigidum vero reuma
capitis decoquantur folia lauri in aqua ore
vasis oppilato postquam recepit paciens fumum
et os obstruat et cum ipsa aqua lavetur
frons et tympora folia eciam lauri soluta
cum oleo rosaceo matrici in missa mixtum
confortant eam ad concipiendum Viridia
lauri folia sicut asserunt quidam nausea
faciunt et stomachum subvertunt Laurus
componitur cum bacca et dicitur laurobacca scilicet fructus
lauri qui est calidus et humidus et habet virtutem dissolvendi
et consumendi Si laurobace bulliantur in aqua
et fumus per nares recipiatur frigidum siccabit
reuma Si terantur et conficiantur et inun-
gantur inde renes et genitalia potenter ex-
citant coitum pulverizate in potionibus dolori ma-
tris apposite superflua consumunt Si fumus
inferius recipiatur parere faciunt Tuse cum
sale et cum vino calefacto potate omne ve-
nenum a corde removent febres que frigidas ex-
pellunt et sudorem bonum adducunt Ex foliis
fit oleum quod oleum laurinum sive dampni-
leon dicitur et fit sic bacce recentes conteruntur
et diu cocte in oleo exprimuntur et colantur et hoc
est oleum laurinum hoc idem de foliis eius
recentibus fit et valet hoc contra artheticam et
contra omnes dolores ex frigiditate

Laurus secundum Serapionem dicitur Gavir alius
Gavir Quidam eius est habens stricta folia
et quidam est habens laciora et est masculus Et
administrantur ex eis folia grana cortices et ra-
dices Et virtus eorum prima est que calefacit
et desiccat desiccacione et calefaccione forti
Et granum eius est forcius quam folia Cortex vero
radicis eius est minus acutus pungitivus et
plus amarus et est in eo aliquantulum stip-
ticitatis et propter hanc causam frangit lapidem
et confert egritudinibus epatis et dosis eius
est a quatuor dragmis et semis cum vino
odifero Quidam folia arbuscularum siccarum sunt calefa-
tiva et decoccio eorum calefacit ita quod si fiat in-
cessio cum ea confert egritudinibus vesice
et matricis et sedat dolorem earum Recencia vero
folia eorum sunt stiptica stipticitate levi quando fit
emplastrum cum eis confert puncture azambor et
apium et vesparum Et fit ex eis emplastrum cum
pane et sanie et sedat pulsacionem apostema-
tum et quando sumitur in potu subvertit stomachum
et provocat vomitum Grana vero lauri sunt
calidiora foliis quando administrantur in lohoc cum
melle conferunt ulceribus pulmonis et strictis
anhelitus tussi et asmati que cogit hominem
stare erectum et contra humiditati ad pectus Et
quando sumitur in potu cum vino confert punctu-
re scorpionis et aufferunt morpheam lignum
vero eius quando bibitur cum vino antiquo et ole-
o et distillatur in aurem confert tonitum eius
et sibilo et confert asmati et ingreditur in
confectionibus unguentorum ad lassitudinem re-
solvenda et in confectionibus que resolvunt et
calefaciunt Si cortex radicis eius quando teritur
et sumitur ex eo in potu contra lithiasim frangit la-
pidem et expellit fetum et confert habentibus
egritudinem in epate suo hec Serapio
Laurus alexandrie secundum Serapio-
nem dicitur sagar et est planta habens
folia similia foliis mirti agrestis nisi quia
sunt maiora molliora et albiora eis et habet
fructum inter folia in magnitudine ciceris
rubei rubei ad rubedinem sanguinis tendentis habet
ramos in longitudine ii palmarum aut plus
et radices similes radicibus mirte agrestis nisi
quia sunt maiores et molliores et odorifere
et ad rubedinem tendentes nascuntur in locis mon-
tuosis et quod de ipsa administratur est radix eius